

6. #46#84.

23



SANCHE

de Precept

Decalogi

.I.

KBR3110

.S364

1754

v.2

c.1



1080045270

Faint, mostly illegible Latin text on the left page of an open book, showing significant water damage and discoloration.

Faint, mostly illegible Latin text on the lower portion of the left page.

Faint, mostly illegible Latin text on the right page of an open book, showing significant water damage and discoloration.

Faint, mostly illegible Latin text on the lower portion of the right page.




R. P. THOMÆ
SANCHEZ
CORDUBENSIS,

E SOCIETATE JESU,

DE

SANCTO MATRIMONII
SACRAMENTO,
DISPUTATIONUM
TOMUS SECUNDUS,

Continens librum VII. de IMPEDIMENTIS MATRIMONII.



VITERBII, MDCCLIV.

50589

Prostant
VENETIIS
 Apud NICOLAUM PEZZANA.

KBR3110

5364

1754

v. 2

R. P. THOMAS
SANCTI

CORDUBENSIS

E SOCIETATE IESU

D E

SANCTO MATRIMONIO

SACRAMENTO

DISPUTATIONUM

TOMUS SECUNDUS

Continens librum VII. de Impedimentis Matrimonii



VITERBII, MDCLIV.

Prostant

VENETIIS

Apud NICOLAUM PIZZANAM.

FACULTAS PATRIS PROVINCIALIS.



Elchior de Gadea, Provincialis Societatis IESU, in Provincia Batica, potestate ad id mihi facta a R. admodum P. N. Claudio Aquayiva Generali Præposito facultatem concedo, ut posterior Tomus de Matrimonio a P. Thoma Sanchez nostræ Societatis compositus, & virorum gravium atque sapientum iudicio ejusdem Societatis examinatus & approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & nostri officii sigillo munitas dedimus, Cordubæ, die 20. Junii, anni M. DC. III.

Melchior de Gadea.

A P P R O B A T I O.



Disputationum de sancto matrimonii Sacramento Tomum alterum de impedimentis, & illorum dispensationibus, a gravissimo & eruditissimo P. Thoma Sanchez, e Societate IESU, nunc feliciter editum de mandato Regii senatus, sedula, quæ ponit, evolvi diligentia, & summa voluptate perlegi. In quo quidem contenta omnia, præterquam quod fidei Catholicæ consonant, & almæ matris Ecclesiæ sanctionibus, & sanctorum Patrum dictis minime repugnant, & bonis moribus non dissonant, eruditissime ab auctore differuntur, & accuratissime sententiarum ubertate ac pondere, insignique resolutione, & eruditione perlustrantur. Tanta insuper dexteritate auctor de thesauro suo nova, & vetera proferens; pro eruenda & sustinenda veritate, digladiatur ac dimicat, ut is qui illius lectioni sese dederint, magnam, cum ad Christianam pietatem, tum ad sacros Pontificum canones & decreta, accessionem futurum iri non dubitem; nihil denique ad hujus Sacramenti perpetuum & indissolubilem nexum spectans desiderari poterit, quod admissum, & consequenter in hoc tractatu non explanetur. Quare opus dignissimum censeo, quod non solum pro communi scholæ utilitate in lucem prodeat, typisque quam citissime mandetur; verum etiam, quod omnium oculis ac manibus continue versetur. Datum Martii, postridie Idus Martii, anni M. DC. IV.

Fr. Petrus Episcopus Venecensis
electus de Gaeta.



Uperioribus sex libris priori volumine contentis differuimus de matrimonii firmitate, & de qualitatibus, quas consensus desiderat, ut illud firmum reddat: jam de aliis, quæ ad complementum materiæ hujus de matrimonio supersunt tractanda, disputandum est. Verum timentes, ne si ea omnia, quæ de gravissima hac materia tractanda restant, in uno tantum volumine contineantur, in magnam molem liber excreceret, visum est, id in duos tomos dividere: quorum hic secundus librum septimum continebit; tertius vero, & ultimus alios tres, octavum, nonum, & decimum, quibus claudetur totus de matrimonio Tractatus. Servato igitur ordine prioris voluminis, quod sex libris clausum est: hoc secundum illi connectendo, septimus hic liber principium huic volumini dabit, qui de impedimento matrimonii, tam de his, quæ solum impediunt, & non dirimunt, quam de iis, quæ etiam matrimonium dirimunt, disputabit. Liber octavus de dispensationibus tam in genere, quam de iis, quæ matrimonii contractum concernunt, agit. Nonus liber agit de debito conjugali, ubi multa ad luxuriam concernentia discutuntur. Decimus liber agit de divortio. Neque existimet quispiam secundas nuptias, ac benedictiones nuptiales, bigamiam & pœnas civiles secundarum nuptiarum, silentio prætereundas. De illis enim agitur in hoc septimo libro, ubi de impedimento ligaminis dirimenti differitur. Atque, Deo dante, edam postea in lucem œconomiam quamdam inter ipsosmet conjuges, ac inter parentes, & filios, ubi de obligatione mutua domestica inter conjuges, & de societate civili, quoad lucrorum divisionem, ac de obligatione parentum erga filios, & contra, atque de successione differetur.



LIBER SEPTIMUS,

DE

IMPEDIMENTIS VEL SOLUM IMPEDIENTIBUS,
Vel etiam Matrimonium dirimentibus.

Divisio totius libri.

Præmissis aliquibus disputationibus, quæ omnibus impedimentis communes sunt, differemus de impedimentis solum impedientibus, ac de potestate, ac necessitate circa illa dispensandi. Deinde de impedimentis dirimentibus, hoc ordine sermo habendus erit. 1. de impedimento erroris & conditionis. 2. de voto solemniter & ordine. 3. de triplici cognatione. 4. de affinitate. 5. de publica honestate. 6. de disparitate cultus. 7. de impedimento criminis. 8. de impedimento ligaminis: & ibi, de secundis nuptiis, earum benedictione, bigamia, ceterisque earum pœnis. Tandem de impotentia seu frigiditate. Hic impedimentum violentiæ prætereo. Quia jam de illo totus liber IV. disputavit.

DISPUTATIO I.

An integrum sit Pontifici, & Episcopis impedimenta matrimonii dirimentia statuere.

SUMMARIUM.

Proponuntur argum. suadentia partem negantem, n. 1.
Pontifex potest impedimenta matrimonii dirimentia statuere: & satisficit arg. oppositis, 2.
An possit Pontifex infidelibus impedimenta matrimonii dirimentia statuere? 3. & remissive, an impedimenta ab ipso statuta comprehendant infideles sibi subditos?
Desideratur iusta causa, & major ad impedimenta dirimentia, 4.
Resertur sent. docens tenore factum, si abique iusta causa impedimenta statuat Pontifex, 5.
Sententia Auditoris, 6.
An possit Pontifex aliquos privatos reddere inhabiles ad contrahendum inter se matrimonium, non lata lege generali, 7.
An possit certas personas omnino inhabiles reddere, 8.
An possit in suis diocesi matrimonii impedimenta dirimentia statuere Episcopus, 9.
An possit ad tempus Episcopus, aut parochus matrimonium impedire, remissive, 10.



Ntequam tractatum de singulis impedimentis, tum solum impedientibus, tum etiam dirimentibus, aggrediamur, quaestiones quasdam generales ac omnibus impedimentis communes præmittere oportet. Præfens igitur circa potestatem Ecclesiæ, ad impedimenta statuenda dirimentia versatur. Quæ multum negotii nobis facefferet, ni late disputata esset lib. 3.

tot. disp. 4. ubi an Ecclesia potuerit irritare matrimonium clandestinum? Eadem enim ratio utriusque difficultatis est. Et argum. ibi proposita, hic militant. Totaque difficultas eo pertinet, quod Ecclesia non potuerit mutare materiam & formas Sacramentorum. Cum ergo matrimonium sit Sacramentum, non poterit Ecclesia ejus materiam & formam variare, reddendo eos inhabiles ad verum matrimonium inendum, qui jure naturæ habiles sunt.

I. Conclusio. Fide catholica tenendum est, posse Ecclesiam impedimenta matrimonii dirimentia statuere, ac matrimonium adversus eam prohibitionem contractum esse irritum. Quod quidem constat ex multis Pontificum & Concilii decretis, quæ ejusmodi impedimenta statuunt, & ex usu universæ Ecclesiæ. Et demum veritas hæc stabilita est in Concilio Tridentino, sess. 24. de matrimonio, can. 7. & 4. Nec id est mutare essentiam, aut variare materiam & formam sacramenti, sed irritum facere contractum humanum, qui in sacramento matrimonii prærequiritur, Quod late declaravit Thom. Sanchez de Matrim. Tom. II.

ravi, & solvi argumenta opposita lib. 3. tota disp. 4. & ideo non immoror.

Quidam hanc Ecclesiæ potestatem ad infideles etiam extendunt, argue ita asserunt posse Ecclesiam infidelibus impedimenta matrimonii dirimentia statuere, & proinde si intenderet inter ipsos irritare matrimonium in gradibus consanguinitatis, quos prohibet, vere fore irritum: at forte id non intendere. Sic Gualtero Rubino. 4. disp. 40. quest. 2. initio, & concl. 3. Quo tamen fundamento ducatur, me prostratus laet. Et ideo rejecta sententia dicendum est Ecclesiam minime habere eam potestatem adversus infideles. Quoniam cum sint extra Ecclesiæ gremium, nulla jurisdictione in eos gaudet: atque ideo constitutionibus Pontificis minime astringuntur, ut fatetur expresse Innoc. 3. c. Gaudemus, de divor. adducto Pauli testimonio 1. Corint. 5. Quia enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? Præterea, quia ideo disp. 3. dicimus, posse hodie Principes infideles impedimenta matrimonii dissolvere, suis legibus indicare: cum tamen id Principibus Catholicis, non sit integrum. Quia Ecclesia hanc sibi reservavit facultatem. Ecclesiæ autem reservatio ad infideles non protrahitur, utpote qui Ecclesiæ jurisdictioni minime subsunt. Id tamen libenter concedo, nimirum, posse Pontificem non tanquam Ecclesiasticum Principem, sed tanquam temporalem, impedimenta dirimentia matrimonii infidelibus inhabitantibus oppida suæ temporali jurisdictioni subdita, decernere. Sicut potest Princeps infidelis sibi subditis. Quia veram habet jurisdictionem temporalem supremam Pontifex in eos infideles tanquam dominus temporalis eorum. Dixi, infidelibus suæ temporalis jurisdictionis oppida inhabitantibus: nam infidelibus incolis aliorum oppidorum, quæ Principibus fidelibus subdantur, nequit Pontifex ea impedimenta statuere. Quia nulla temporali jurisdictione fungitur in iis oppidis, sed sola spiritali, tanquam supremum Ecclesiæ caput, ab hac autem jurisdictione infideles exempti sunt. Quamvis Ledesma 2. p. 4. qu. 61. art. 2. col. 3. & Abul. 1. Reg. 8. q. 178. clare sentiant id posse respectu omnium infidelium qui Christianis subdantur. An vero Princeps ille Catholicus, cui infideles illi temporaliter subdantur, id posse efficere? dicam disp. 3. nu. 8. ubi etiam dicemus an impedimenta matrimonii a Pontifice statuta, comprehendant infideles sibi temporaliter subditos.

II. Conclusio. Desideratur iusta causa ut Pontifex rite & recte valeat impedimenta matrimonii indicare. De veritate hujus conclusionis nemo dubitat. Quoniam Pontificis potestas non est ad dissipandum, sed ad rectam Ecclesiæ administrationem: quæ causam justam postulat, maxime ad interdicendum matrimonium jure naturali & divino concessum. (Et ut bene advertit Ruardus Papper. art. 20. Lovaniens. paulo post principium) major exigitur causa ad dirimendum, quam ad simpliciter prohibendum matrimonium, & sæpe aderit iusta causa prohibendi, non tamen dirimendi. Quia dirimere gravius est quam simpliciter prohibere.